



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. De alijs impedimentis, quæ non dirimunt, sed impediunt tantùm
matrimonium contrahendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. II.

De aliis impedimentis, quæ non dirimunt, sed impediunt tantum matrimonium contrahendum.

PLura communiter enumerantur, quorum tamen plerorumque nullus hodie usus & praxis est, consuetudine contrariâ licita faciente matrimonia, etiam cum illis impedimentis impediens contracta. Sic primò impedimentum Catechismi, ex instructione scilicet parvuli in ordine ad baptismum proveniente, aut quod aliquis in Catechismo tali pro parvulo respondeat, olim quidem impediens matrimonium inter tales spiritali cognatione conjunctas personas, hodie tamen nulla illius praxis est. Sic secundò sunt varia crimina, quæ olim impediabant, in pœnam scilicet, matrimonia, quale crimen fuit levasse seu suscepisse propriam prolem de fonte sa-

cro, in fraudem debiti conjugalis; patrinum in confirmatione propriæ proles fuisse, animo subterfugendi debiti conjugalis; sacerdotem injustè occidisse; solemnem & publicam pœnitentiam agere; sacrilegè & scienter cum Moniali contraxisse Matrimonium; uxoricidium commississe; sponsam alienam rapuisse; incestum cum consanguineis propriæ uxoris, adhuc viventis, commississe, cum matre aut filia fornicatum fuisse &c. hodie tamen horum impedimentorum impediens nulla est praxis, & nihil contrahenda matrimonia (cæteris paribus) prohibeat, vel impediunt. Impediunt tamen etiam hodie prohibitio à Judice Ecclesiastico facta, sponsalia priora nondum dissoluta, votum simplex castitatis, & nuptiales solemnitates prohibet etiam tempus factatum prout ex dictis jam patet.

TITVLVS XVII.
QUI FILII LEGITIMI.

§. I.

De filiis legitimis & illegitimis in genere.

Quid filiorum alii legitimi sint, alii illegitimi, communissima docet; legitimi, vel sunt legitimi tantùm, quales sunt filij adoptivi, non naturâ, sed ex sola lege filij, vel sunt legitimi naturales,

Compend. Parbing.

qui ex legitimo Matrimonio, & iustis nuptiis, veris, vel putativis, nati sunt. Illegitimi dicuntur, qui nati sunt non ex legitimis, & iustis verè, aut putativè nuptiis, & horum alii sunt naturales, qui nati sunt ex parentibus, inter quos poterat esse matrimonium ex solutis v. g. Canonicè non impeditis &c. Spuriij verò dicuntur, qui nati sunt ex parentibus inter quos non poterat conceptionis tem-

T e t

pore